



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

Inhaltsverzeichnis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

parant; sed quoniam etiam leuiora id faciunt, ut à te distrahant, atque intimam coniunctionem impediunt, illa etiã odio habui, & abominatus sum. Non enim paruum bonum impediunt, cum feruorem tepesciunt caritatis, & familiarem tecum conuersationem interturbant: à quo vel modica separatio, quasi mors præsens, ac perniciosissimus mihi interitus credendus est.

¶ Nun, id est, Sempiternum.

*Oronarius XIX.*

- 105 **L**ucerna pedibus meis verbum  
tuum, & lumen semitis  
meis.
- 106 Iuravi & statui custodire iudicia  
iustitiæ tuæ.
- 107 Humiliatus sum vsquequaque Do-  
mine: viuifica me secundum ver-  
bum tuum.
- 108 Voluntaria oris mei beneplacita  
fac Domine: & iudicia tua doce  
me.
- 109 Anima mea in manibus meis sem-  
per: & legem tuam nõ sum obli-  
tus.

110 Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erravi.

111 Hereditati acquisivi testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

112 Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.

105 Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

**Q**UAM necessaria lucerna, ubi viae superiorum Adam, non nisi tenebrae, & lubricum? Gratias tibi amator salutis perditorum, qui in caliginoso loco, donec dies illucescat, lucernam parasti nobis verbi tui; pedibus lucernam, semitis lucem: alioqui quis posset tuto pedem figere? Sed lucerna praemittenda est ante faciem, ut gressus dirigat. Nam si post terga habeatur, pedes omnino offendant necesse est. Et, iustus est, non qui fidem habet, sed qui ex fide vivit. Sunt in via foveae, sunt lapides offensionis, sunt spinæ, sunt ferae bestiae: quis pertranseat illæsus sine lumine? Porro lucerna hæc oleo perpetuo nutrienda.

Lucerna  
necessitas.

Psal. 34.

Debet  
praemitti.

Rom. 1.

Nutrienda  
oleo.